

.lxxvii. OMELIA IN NATALE ECCLESIAE¹ .

Qvotiescumque fratres karissimi altaris uel templi festiuitatem colimus .
si fideliter et diligenter attendimus sancte et iuste uiuere
debemus . quia quicquid in templis manu factis agitur .
totum in nobis spiritali aedificatione complitur² . non enim
mentitur ille qui dixit . templum domini sanctum est . quod estis
uos . Et iterum . Nescitis quia corpora uestra templum est . spiritus sancti .
qui in uobis est . Et ideo fratres karissimi quia nullis precedentibus
meritis per gratiam dei meruimus fieri templa dei . quantum pos
sumus cum ipsis adiutorio laboremus . ne deus noster in templo
suo hoc est in nobis ipsis inueniat . quod oculos sue maiesta
tis offendat . sed habitaculum cordis nostri uacuetur uitiis . et
uirtutibus repleatur . claudatur diabolo . et aperiatur christo .
et ita laboremus . ut nobis bonorum operum clauibus ianuam
regni caelestis aperire possimus . Sicut enim malis operibus
quasi quibusdam serris ac uectibus uitae nobis ianua clau
ditur . ita absque dubio bonis operibus aperitur . Et ideo
fratres karissimi unusquisque consideret conscientiam suam . et qu'a'ndo
se ab aliquo crimine uulneratum esse cognouerit . Prius
orationibus ieieiuniis et elimosinis studeat mundare
conscientiam suam . et sic eucharistiam presumat accipere .
Si enim agnoscens reatum suum ipse a diuino altari subduxerit .
/157v/ cito ad indulgentiam diuinę misericordię perueniet . quia sicut qui se
exaltat humiliabitur . Ita e contrario qui se humiliat exalta
bitur . qui enim sicut dixi agnoscens reatum suum si ipsum humiliter
ab altari ecclesię pro emundatione uitę remouere uoluerit .
ab aeterno illo et cęlesti conuiuio excommunicari poeni
tus non timebit . Rogo ergo uos fratres karissimi diligenter ad-

¹ gloss in the right margin in a later hand: sermo uel omelia beati augustini

² complitur] corr. from completur

tendite . si ad mensam cuiuscumque potentis hominis nemo
presumit cum uestibus conscisus et inquinatis accedere . quanto
magis a conuiuio aeterni regis id est ab altare domini debet
se unusquisque inuidie uel odii ueneno perculsus . iracundię
ueneno repletus . Cum reuerentia uel humilitate subtra
-here propter illud quod scriptum est . Vade prius reconcilia
ri fratri tuo . et tunc ueniens offeres munus tuum . Et iterum .
amice . quomodo huc intrasti non habens uestem nupti
alem? sic enim habet textus euangelicę lectionis . quod
quidam fecerit nuptias filio suo . et intrauerit ut uideret
simul recumbentes . et uidens ibi hominem non habentem
uestem nuptialem dixit . Amice quomodo huc intrasti
non haberis uestem nuptialem? et illo obmutescente dixit
ministris . Ligate illi manus et pedes . et proicite eum in tene
bras exteriores ibi erit fletus et stridor dentium . Ecce
qualem sapientiam merebitur audire . qui ad conuiuim nup
tiale id est ad altare domini aut aebriosus . aut adulter .
aut odium in corde retinens presumit accedere . auer
tat hoc deus a nobis fratres karissimi . et concedat ut mala ista num
quam uelimus admittere . aut si admisa fuerint .
sine ulla mora per poenitentiam uel pacem studeamus
sanare . et largioribus elimosinis festinemus abluere .

/158r/ Ne forte sicut peccatorum uelneribus ante tribunal eterni
iudicis uenerimus . ab illa aeterna ecclesia et ab illa cęlesti
hierusalem perpetua . excommunicatione separemur . Rogo
ergo uos fratres . karissimi considerate si hodie aliquis a conuen
tu huius æcclesię pro aliquo crimine foris proiciatur . in
quanto dolore uel tribulatione erit anima sua . et si
intolerabilis dolor est de ista ecclesia foris proici . ubi ille
qui proicitur et manducare et bibere et cum hominibus loqui
potest . et habet spem ut iterum meratur ad ecclesiam re

uocari . quantus putatis dolor erit . si aliquis pro crimi
nibus suis in illa ecclesia que est in cēlis a conuentu ange
lorum et omnium sanctorum congregatione fuerit separatus . cui
nec hoc solum sufficiet ad poenam quod foris proicitur . sed
insuper in tenebras extiores aeterno incendio non creman
dus concludetur . qui enim ab illa cæleste hierusalem excommu
nicari meruerit non solum hoc pēne habebit . quod nec man
ducere nec bibere poterit . sed etiam flamas imferna
les sustinebit . Vbi est fletus et stridor dentium . Vbi
ululatus lamentatio et poenitentia sine ullo remedio .
Ubi est uermis ille qui non morietur . et ignis qui numque extin
guetur . Vbi mors queritur et non inuenietur . Quare
in inferno mors queritur et non inuenietur? quia quibus
b³ in hoc seculo uita offertur et nolunt accipere . Hi nimirum
in inferno querunt mortem et non poterunt inueni
re . Vbi erit nox sine die . amaritudo sine dulcedi
ne . obscuritas sine lumine . Ubi nec diuitię nec pa
rentes nec coniuges . nec filii nec uicini poterunt
subuenire . Ubi nihil boni peccator omnino inueniet .
/158v/ Haec ergo cogitantes fratres karissimi tam casti et tam sobrii et tam paci
fici . ad istum altare deo auxiliante studeamus accedere . ut ab
illo aeterno altare non mereamur excludi . Qui enim
ad istum altare casto corpore et mundo corde . cum secura
et munda conscientia uenerit . ad illud altare sublime .
quod in caelis est felici transmigratione perueniet . Ad
extremum tamen fratres karissimi non est graue nec laboriosum
quod suggero . hoc enim dico quod frequenter facere aspicio .
Omnes quidem uiri quando communicare desiderant lauant
manus suas . et omnes mulieres nitida exhibent lintheami
na . Vbi corpus christi accipient . non est graue fratres quod dico .

³ b] canceled by subpunction

quomodo uiri lauant de aqua manus suas . sic de elimo
sinis lauent conscientias suas . similiter et mulieres quomodo
nitidum exhibent linteolum ubi corpus christi accipient .
sic corpus castum et cor mundum exhibeant . ut cum bona
conscientia christi sacramenta suscipiant . Rogo ergo uos fratres
karissimi . numquid aliquis est . qui in arca sordibus plena uelit mit
tere suam uestem preclararam . et si in arca sordibus plena uestis
non mittitur pretiosa . qua fronte in anima que peccatorum
sordibus inquinatur christi eucharistia suscipitur? et quia
istis uerissimis exemplis loqui coeperimus . etiam et hoc quod
bene nostis insinuo non enim puto esse . aliquem hominem .
qui in arca ubi pretiosas uestes habet repositas a`d`quie
scat . aut carbonem uiuum aut qualemcumque scintillam ignis
includere . Quare hoc non facit fratres . nisi quia timet Ne
comburantur uestimenta . quibus in festiuitatibus induitur .
Rogo uos ergo fratres . qui in arcam suam non uult scintillam ignis
includere cum uestimentis . Quare in anima sua flammam
/159r/ iracundiae Non timet accendere? sed quare hoc fiet . manifeste
et euidenter agnoscimus . Ideo enim in arcam Non mittimus
ignem . quia diligimus uestem nostram . Flammam uero iracun
dię ideo non extinguimus . quia non solum non diligimus sed etiam
odio habemus animam nostram . Secundum illud quod scriptum est qui
diligit iniquitatem . odit animam suam . Et ideo fratres karissimi exem
pla ista attentius cogitantes . ancillas interiores id est
conscientias nostras quantum possumus cum dei adiutorio custo
dire diligentius studeamus . ut cum dies iudicii uenerit . in illa
aeterna et beata æcclesia ubi numquam habitare poterit
malus et unde numquam exiturus est bonus . non cum pannis
uetribus foras in tenebras exteriores excludendi appare
amus . sed stola inmortalitatis induti . castitatis et iustitię
gemmae ornati . et elimosinarum luce uestiti . uocem omnibus

ammabilem audire mereamur . Venite benedicti patris
mei . percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi .
Et illud . Euge serue bone et fidelis . quia super pauca fuis
-ti fidelis . intra in gaudium domini tui . ad quod gaudium nos et
uos dominus deus omnipotens sub sua protectione perducere dignetur .
qui in eternum uiuit et regnat . per infinita secula seculorum . amen .